

XIII. Quia tamen ad assequendum stylum opus est Lectio, quo velut pabulo, solidiora nutrimenta accedunt; nolim juvenibus tradi Barclajum & similes styli Heroici & inimitabilis sectatores. Cum enim juvenus ultro ad verborum ampullas inclinet, facilis aperitur via ad excessum, nulla postmodum industria medicabilem. Neque statim respondet ingenii festivitas, quæ tamen novis argutiarum inventis plurima contribuit.

XIV. Dissimulare hoc loco non possumus, quid de Argutis Inscripti-
onibus sentiant Eruditissimi; nisi enim mediocri sedulitate attingantur,
& juxta hos lusus, tersior & simplicior scribendi modus excolatur, fieri
potest, ut, qui miraculo esse debebat, prolabatur in ludibrium. Sane
id contigit Petro Labbeo Jesuitæ Gratianopolitano in Gallia, qui cum
omnes arguta sua dictione superaret, eò tamen consuetudinis perve-
nerat, ut in seriis & familiaribus etiam epistolis ludere & tantum non
ineptire sustineret.

XV. Sed objiciet aliquis, refutari his Thesisibus informationem hactenus in Gymnasio familiarem. Nam nunc demum à Plinii Panegyrico manum removimus, postquam aliqua Claudiani, Senecæ Tragici, quin & Ferrarii nuper in Italia defuncti nonnulla fuissent pertractata.

XVI. Equidem gratulamur nobis de occasione, qua licet aliquanto apertius informandi hanc Methodum explicare. Qui enim ad Latinam Linguam adspirant, & scribere cupiunt ipsi, & intelligere, quicquid ab aliis scriptum est. Scribendi artificium tanto succedit facilius, quanto pauciores, imo quanto simpliciores Auctores præleguntur. Nam si omnes phrasas non addiscimus ex uno Scriptore, parum refert, an aliquas ignoremus, dummodo liceat uti reliquis inter legendum observatis.

XVII. Ex adverso qui libros passim evolvendos & interpretandos aggreditur, eum necesse est intelligere, quicquid ad Latinitatem pertinet: siue stylum commendat perspicuitas s. eundem exasperet obscuritas. Quamobrem è re Juventutis est, cursoria interdum Lectio experiri, quid valeat animus in his Verborum tenebris: ne, qui solum Terentium vel Ciceronem explicare didicerunt, ad alios deducti, ignorantiam & velut exilium Latinitatis deplorent.

XVIII. Jam sic judicamus de stylo Barclajii: tardius ad ejusmodi flores juvenem manuducendum: si tamen antecesserit Romanæ simplicitatis apparatus, horas succisas consecrari posse argutiis, quibus hodiernæ